

Empyrei essentiam constituentia elementa, penetrationem per omnia habent, ipse quoque ratione recta videtur, habere eandem; et si per omnia, etiam per terram, usque ad centrum penetrabit. Spacio namque terra tota constat; constat et lumine, colorata tota. Tota etiam calore, ut ostendetur est interfusa, et fluore etiam sensibili, ære, et aqua, et liquoribus ubique est perfusa, et interfusa innumeris. Si ita se res habeat, uti partim iam est demonstratum, et partim ad sua loca demonstrabitur; nemini ratione recta philosophanti, iam dubium fuerit, Empyreum, per æthereos tres mundos, perque tres hylæos usque ad centrum penetrare.

Sed illæ nos ab huius libri initio propositæ revocant quæstiones, an æther, ignis sphæræ, aut æri sit continuus, et unus, et essentiæ sint eiusdem. Ad eas recto calle accedere posse videmur, si essentiam ætheris prius expediamus. An eadem cum Empyreo sit, an alia? Sane ostensum est antea Empyreum in fluore, et e fluore, calore, et lumino, blandore ineffabili ardere, et flamarum corporearum primam, veluti incorpoream ipsum esse, et præ tenuitate eius summa, invisilem. Si æther, in se ubi nulla sit stella, præ tenuitate flammam visilem non edit, forte idem cum Empyreo fuerit. Ostensum enim iam est ætherem quamvis Chaldæi ipsum in tres dividerent, non esse in tres divisum. Neque ullis superficiebus, aut propriis, aut alienis, aut ab Empyreo, aut a se ipso in te distinctum. Sicuti ergo æther totus, unum atque idem corpus est, quia superficiebus non disterminatur: sic quoque unum atque idem, cum Empyreo est. Quia cum ipso continuus est, et nulla ab eo dividitur superficie. Atque inde est, ut eiusdem sit essentiæ, earundem virium, earundem cum Empyreo actionum. Flammaque et ipse sit blandissima, et tenuissima, et invisili, et transpicua. Ideoque a Chaldæis iisdem, dictum est. Omne quod supra Lunam est, purum esse lumen, quod sit ætheris, ac cœli substantia, ætheris inqueam illius, qui inter stellas interponitur. Nam astrorum essentia, et ab eo est alia, et inter se differentiam habent essentia, uti paulo post patebit. Distinxerunt autem hunc ætherem Chaldæi, in tres, non superficiebus, sed uti diximus, naturæ eius feracitate, maiore, et minore. Quandoquidem in suprema eius regione, numerus stellarum est pene infinitus, cædemque semper, eodem inter se distant intervallo. Media, non nisi sex tulit, easdemque adhuc fert, inqua variis volitant cursibus. In infima vero, non nisi unam, et colore, et aliis multis, ab aliis omnibus diversam. Sed si æther unum idemque cum Empyreo, eiusdemque essentiæ corpus sit, qua de causa iidem Chaldæi, dixerunt per tres æthereos penetrare mundos? Si per eos penetrat, naturæ ab eis est diversæ. Nos ita dicimus. Necessæ est, et ætherem, et Empyreum, vel differentis, vel eiusdem esse naturæ; vel et eiusdem, et differentis. Differentis quidem sunt, quia Empyreus nullum appetet, quod nos cernamus astrum ferre, ætherem ferre innumera. Eiusdem rursus, quia æther iisdem quibus Empyreus constat elementis. Nullis terminis, nullis superficiebus disterminantur, continui sunt, unum corpus efficiunt, illudque simplex, tenuissimum, transparens, luminosum, invisile. Et eiusdem igitur, et differentis sunt naturæ. Modo quæstiones ab initio positæ ad se nos vocant. Quando camera, fornix cœli vera fornix, vera camera non est, sed uti est demonstratum apparet tantum; æther ut ita dicam lunaris continuus ne est, cum inferiore, vel hypeccaumate, vel ære? Hoc quanta possimus animi adversione expendamus. Aristotelem in adiutorium aduocemus. Is ita scripsit.

Ἐστὶ δ' ἐξ ἀνάγκης συνεχῆς πῶς οὐτος ταῖς ἀνωθὲν φοραῖς, ὥστε πάσαν αὐτου τὴν δύναμιν κυβερνάσθαι ἔκειθεν.

“Est vero necessario, continuus quodam modo, iste (mundus) superis lationibus. Ita ut omnis eius virtus gubernetur inde.”

Hac igitur positione utamur, et alia capite sequenti, in hisce verbis.

Τὸ μὲν γὰρ πῦρ τῷ ἄνω στοιχείῳ, τῷ δὲ πυρὶ ὁ ἀὴρ συνεχῆς ἔστιν.

Ignis quidem, supero elemento, igni vero ær est continuus. Pro elemento supero, cœlum intellexit, quod paulo ante, circulo ferri dixerat. Huic ergo, inquit, ignis est continuus, igni vero ær. Ignem tamen hunc non ignem esse docet.